

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Michael Watson Henricus Coch

Theses Aristotelicae De Coelo. Stellis & Elementis

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215784>

Druck Freier  Zugang



R. phil 1650
Michael Watson
Heinrich Koch



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730215784/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215784/phys_0002)



18

THESES ARISTOTELICÆ
DE
COELO. STELLIS
&
ELEMENTIS.

Quas

Suffragio Ampliss. Facult. Philosoph.
In Florentissima Rostoch. Academia

M. MICHAEL WATSONIUS

ET

HENRICUS COCH, WISMARIENSIS

Publicè defendend. suscipiente

Add. 8 Junij

In Auditorio Majori,

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Apyo 1650.

XVII

ЗЕЛЯТЕРІЯ збірник

зілля та овочі

зілля медін

зеліття зілля зеліття зеліття
зеліття зеліття зеліття зеліття

зеліття зеліття зеліття зеліття

зеліття зеліття зеліття зеліття

зеліття зеліття зеліття

зеліття зеліття

зеліття зеліття

зеліття зеліття зеліття зеліття

зеліття зеліття зеліття зеліття

DE COELO.

I.

Doctrina de Substantia mobili incorruptibili Alteram Physicæ partem constituit, ad hanc etiam spectat quæ est de Cœlo & stellis; Quam optimè traditam accepimus ab Aristotele, neq; est ut hac in parte discedamus ab illius sententia, licet plurimis difficultatibus & contradicentium opinioribus eam fuisse hactenus obnoxiam constet. Putamus enim quod æquæ feliciter ex doctrina Aristotelica, quæ Antiquiss. & Optimorum Mathematicorum observationibus, hypothesibusq; nascitur, solidam cœlistum noticiam aliquis haurire possit, quam ex alia quavis, quæ renovatis ac longe antid hac velab ipso Nostro Philosopho refutatis Mathematicorum quorundam principiis, superstructa videtur.

II. Posita hypothesi quod Cœlum moveatur, Terra quiescat, quam Prisci Mathematici & optimæ notæ Philosophi suffragiis & rationibus approbarunt ac confirmarunt; Certum erit, Aristotelis de Cœlestibus sententiam nihil absurdii aut falsi continere. Modo æmula devotay, proterviam aliosq; effectus disciplinæ adversos heic seponere, argumenta utriusq; partis debitè ponderare; potius de Veritate & laudabili methodo, quam de Autoritate, prolixa vel breviori discendi via, cutas suscipere, quilibet vellet.

III. Statuendum quod Vocab. σέγενος sive Cœli accipiatur. Primo, pro Substantia circulariter per Naturam suam mobili, omnium suprema; sive pro Corpo Naturali, quod reliqua corpora continet & circumdat. Hoc Cœlum dicitur primum & Habitaculum Dei Philosopho, in quo Supremum Numen, peculiari modo æternum operatur. Hoc Cœlum est terminus eorum, quæ sunt supra nos, & omnium gentium consensu DEO affigatum fuit. Invenire posse, inquit Plutarchus, Urbes, muris, litteris, regibus, opibus, nomismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias; urbem templis Dijsq; carentem nemo unquam vidit. Omnes autem qui de DEO opinionem habuerunt, ipsi Supremum habitaculum tribuerunt. Ut inquit Aristot: Hoc Cœlum dicitur Olympus quasi usq; quâq; lucidum, illustratum, & splendidū, ab omni-

A

bus

bus tenebris, ventis, tempestatibus & inordinato motu longè remotum: nihilominus & supremus aët ita appellatur, nec non Mons quidam Thessaliz, & Tibicen insignis, quem Plato commendat.

IV. Secundò Cœlum sumitur Pro illo Corpore naturali quod est sub supremo sive pro illa substantia mobili incorruptibili secundum naturam, in qua stellæ luna sol & reliqui Planetæ moventur. Vocatur Æther ab æsther cum in perpetuo sit motu. Non est plenum igne, sed ibi est aer tenuior, qui, ut distinguatur ab aere vaporoso, innatans q. ignis à Priscis dictus fuit. Notum quoq; quod juxta Platon. & Plutarch. Planetæ appellati fuerint Dij, à perpetuo cursu ac motu: hinc immobilem Substantiam nomine Æsther vocand. esse, Philosophus noster non admittit. Tertiò pro eo corpore Physico quod est sub luna, illud omne quod est supra nos usq; ad Lunam, Cœlum appellare solemus, quæ sunt vel sunt in aere, ut nubes, aves, pluviae, grandines in Cœlo esse vel fieri dicimus. Sic Cœlum idem quod aer, vaporibus sæpè obscuratur, quod inani simile vitalem hunc spiritum fundit, ut loquitur Plinius.

V. Physicus considerat Cœlum non tantum ut Corpus, sed ut substantiam Mobilem. Ex Mathematicis tamen determinat, Corpus quodlibet trinam dimensionem & perfectionem præ reliquis magnitudinib. obtinere. Ternarius enim numerus ad sanctissimas & perfectissimas, dicente Philosopho, adhibetur. Hinc partes Mundi vere dictæ, & singula trinam dimensionem habent & definiuntur ad id quod tangunt & ab officio quod in toto præstant. Non quod solum sint corpora, sed quod mobilia sint & corpora habeant; ex motu vero dignoscenda sunt, quædam simplici motu vel rectilineo à medio suum, ad medium deorsum moventur, vel Circulari circa medium, quædam mixto & vario motu feruntur. Cœlo competit motus Circularis, & sic necessum est dari Corpus quod secundum Naturam circulariter moveatur.

VI. Adeò sollicitus Physicus non est de Cœlo Supremo sive Habitaculo Dei, aut de Aëre, quam de Æthere s. stellarum Cœlo, cum in altera Physicæ Scientiæ parte versatur. Quamvis piè vereq; de hisce sentire ac loqui possit ac debeat, maximè juxta Aristot. Philosophiam. Philosophia enim non est invida, verum, ut Autor libri de Mundo pronunciat, res quascunq; præcipua commendationis esse existimat, quoad ejus fieri potest, libens inter homines erogat; discipiens illis abunde & prolixè consultum. Proinde Majori honore digni sunt, qui de hisce Sublimiori-

mioribus, accuratius scripserunt ac liberaliter communicarunt. Quos inter Aristotelem, divino & singulari in genio, subtilitate, abundantia eruditiois Virum excellentem, meritò veneramur. Quis enim doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel iudicandis acrior Aristotele fuit, qui acie mentis rerum omnium vim naturamq; vidit, teste Cicero. Cujus inventa, ab ipsa Natura non dissentiant, cum Naturæ scriba, qui calamum in mente tinxerit, cum miraculum, regula & exemplar Naturæ, hic summus in omni scientia Vir fuerit, prout ex Plinio, Macrobio, & aliis, omni laude Majorem Philosophum, commendamus.

VII. Scimus extra Coelum ultimum, non esse Corpus, neq; simplex quod simplici motuq; rectilineo sursum vel deorsum fertur, neq; mixtum alterationi, motui locali aut mutationi obnoxium ibi esse poterit. Absurdum quippe est in Coelo Supremo quicquam mutabile, collocare, neq; enim secundum, neq; præter naturam id fieri potest, cum quodlibet corpus naturale s. qualibet substantia mobilis, materialis sensibilem, locum, loci differentias, tempus & similia agnoscat. Coelum vero perfectum nihil eorum contineat. Ideoq; status illorum quæ extra hoc Coelum s. in Supremo Coelo sunt, talis est; in loco aut tempore esse nequeunt, & quia loco, vis corporis, cuius superficies est locus, tribuit potest & solet; ac tempori, corruptionem potius quam rerum generationem propter diurnum motum assignare consuevimus; determinandum, Supremo Coelo & iis quæ in illo sunt, tale quid non competere. Illa quæ ibi degunt, nullis alterationibus aut passionibus subjecta, optimam, & sufficientissimam vitam in omne ævum ducunt; ab omni molestia, gravitate longum dissipata, nullis bonis indigent. Hæc & similia Aristoteles adeò certa esse putat, ut ad ἐγκύλια φιλοσόφημα i. e. ad quotidiana & in circulum q. redeuntia dogmata provocet & dicat, quod testem hujus sententiae habeamus tum consensum antiquorum, Philosophorum, tum quoq; communem, veram tamen, hominum opinionem. Cui Seneca adstipulatur quando ad Marcam scribit: Excessit filius tuus terminos intra quos servitur. Excepit illum magna & æterna pax, non paupertatis metu, non divitiatum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessit, non invidia felicitatis alienæ tangit, nec suæ premitur, nec conviciis verecundæ aures verberantur, nullà publica clades conspicitur, nulla privata, ibi constitit, un-

de nīl eum pessat, nīl eum ferreat. Plato passim quæ hisce respondent ha-
bet, unde cōstat neq; Ethnico Philosopho ignaros fuisse cœlestis vitæ.

IX. Supremum autem Cœlum, extra quod non est corpus à quo
contineatur, non poterit esse in loco, non enim habet terminum supra
se. Quod etiam de æthere intelligendum, totum videlicet hoc Cœlum
non est in loco, nisi per accidens & secundum partes quodammodo,
quar, una pars est sub alia & ab alia continetur, & sic potentia ratione
partium in loco esse dicitur, non simpliciter nec actu. Propriè enim in
loco esse dicuntur quæ terminum infra & supra se habent, ut quæ con-
densari & rarefieri possunt, quæ sursum vel deorsum moventur. At jux-
ta Philos. neq; Cœlum, neq; partes Cœli, sed eorum partes, quæ sub Cœ-
lo sunt, à motu Cœli & aërorum rarefiunt & condensantur; qualia sunt
mixta s. ex elementis composita, quæ moventur secundum motum præ-
dominantis, ut si sint ignea maximam partem, moventur ut ignis sur-
sum. Cœlum autem talem motum non habet, sed circulariter circa Cen-
trum suum moveri potest, ut pars parti succedat continuò; neq; enim
ascendit ut rarefactum & leve, neq; descendit, ut condensatum & grave;
verum per naturam, conversionem, quæ prior est motu recto, & corpo-
rum simplicium generabilium, obtinet.

IX. Cum ex principiis Mathematicorum constet Corpus esse tria
dimensione præditum, perfectam magnitudinem & continuum quid,
Physicus hæc tanquam probata assumit & Cœlum juxta magnitudinem,
quam Motus sequitur, consideratus, appellat Corpus, maximè perfe-
ctum, continuum, quod extra se nihil habeat quo terminetur hinc ⁱⁿ mūr
s. Universum q. undequaq; absolutum in se & in comparatione ad alia
mobilia non immetit dicitur. Potissimum vero Cœlum comparan-
dum est, cum illis, quæ propter simplicem quam obtinent essentiam &
motum, magis simplicia dicuntur, qualia sunt prima corpora s. primæ
substantiæ mobiles, & partes mundum integrantes, gravitatem ac levi-
tatem habentes; & dicendum, Cœlum perfectius esse istis, oī motu
magis perfectum. Prout enim Circulus perfectior linea recta, quia illi
nihil addi aut detrahi potest, sic motus Circularis, motu rectilineo præ-
stantior est. Atque sic Cœlum à reliquis substantiis etiam simplicibus
quoad motum & Naturam longè distat, materiali elementorum, quæ
potentia gravis, levis, humida, secca, calida, frigida est, non habet.

Ench

X. Ex

X. Ex Motu autem cœli manifestum est, quod nec grave nec leve esse queat. Non est Grave, cum non feratur deorsum ad medium, neq; aer tenuissimus in locum cœli se insinuat, quod fieri deberet si descendere cœlum: & quomodo æquabilis & velocissimus erit motus cœli & astrorum si cœlum grave sit? nisi quis afferat, Idem posse simul moveri circulariter & secundum rectam lineam deorsum. Neq; nisi per fallac. Conseq. probari potest, cœlum esse leve, cum subtilissimum & in supremo loco sit. Ut non sequitur: sanguis est rubicund. Et rubicundum est sanguis. Febricitans calens E. quod calens febricitat, sic etiam h. l. Neq; probabile videtur cœlum esse in loco, cum sit locus omnium. Et si leve sit, necesse est, aliquam speciem levitatis habeat, vel ignis, vela æris, hac ratione ait semper superiorem locum peteret, aut inconstanti moveatur motu, & vel aliquos vel omnes levitatis gradus obtineret, perpetuis mutationibus secundum partes, obnoxium.

XI. Quamvis differat maximè cœlum, tum à simplicibus tum à mixtis substantiis mobilibus reliquis, illarum rāmen consideratio prorsus negligenda non est, cum plurima ex his desumpta secundum analogiam hec applicanda veniant. Ut enim in simplicibus & similaribus mixtis, partes sunt homogeneæ cum toto, unde ad eundem locum referuntur Totum & qualibet pars. Sic & totum cœlum & secundum partes ingenerabile & incorruptibile moveretur motu non rectilineo sed circulari. Alius motus ei neq; secundum neq; præter naturam competere potest, E. hic ratio restis est in quæ apparent, & quæ apparent restes sunt rationi. Unius cuiusq; enim simplicis corporis s. substantia mobilis, est, non nisi unicus motus localis per naturam; ideoq; nequit fieri ut Cœlo & partibus cœli, competit simul motus secundum gravitatem & levitatem, utq; ijs tribuatur quidam motus rectilineus secundum naturam, aliis præter naturam, sed prout cœlum est figuræ sphæricæ, circularem etiam motum naturam sua obtinet.

XII. De Motu Cœli poterò determinandum, quod illi nullus sit, contrarius. Cœlum enim contrariorum expers est, neq; generatio aut corruptio, quæ sunt mutationes secundum substantiam maxime contingentes, ubi contraria, intermedia, quæ ratione extremorum sunt contraria, aut contradictoria locum habent, illi competit. Et hoc sensu Philosophus afferit Cœlum nec principium nec finem per naturam obtinere. Cum Philosophus demonstrat Cœlum s. mundum esse æternum,

num, nihil aliud demonstrat (præclarè inquit D. Drejerus) quam eum non cœpisse per principiis naturæ, nec deficere per principia naturæ & philosophiæ, & hac ratione ipsius Demonstratio firma est, nec adversatur ulla ratione fidei nostræ. Monstrat quoq; Philosophus nullam aliam speciem Motus cœlo tribuendam esse quam localem & circularem. Huic rectilineus non contrariatur, quamvis linea recta circulo contraria videatur. Ut convexum & concavum ~~æ~~ter: ac subiecto differunt, & opponuntur recto; sic in simplicibus unum uni est contrarium. Sic motus rectilinei qui in simplicibus secundum gravitatem & levitatem sursum aut deorsum fieri solent, sibi contrariantur, neque opus est, agnoscant pro contrariis Motus Circulares. Similiter Motus ab ortu in occasum non est contrarius, motui ab occasu in ortum, prout uterq; est circularis. Contrarius enim motus sit ex contrario in contrarium. Circularis ex eodem in idem; & ortus ab occasu non propter circulum sed propter lineam rectam, quâ à se invicem distant, videntur esse contraria. Potest tamen fieri, ut cœlum vel alia quædam magnitudo mobilis, alio atq; alio modo, prout vel per se vel per accidentis ratione motus consideratur, oppositos & contrarios motus obtineat. Illi tamen in eodem numero subiecto secundum idem esse nequeunt, cum sibi invicem impedimento aut frustra essent. At vero DEUS & natura nihil faciunt frustra.

XIII. In proposito etiam est cœlum nec accrescere nec decrescere, id enim per contraria, quæ alterationem ac mutationem partium inferunt, fieri debebat. Cœlum vero secundum partes quoq; immutabile manet, & habet saltem materiam secundum locum mobilem, prout aliæ substantiaz mobiles incorruptibiles. Ideoq; in se, actu vel potentia calidum frigidumve esse nequit, licet Motu & lumine sit causa caloris & frigoris. Quæ enim sunt calida vel frigida, nec non quæ humida & siccata sunt, illa magis & minus talia fieri subinde solent, & possunt instar ignis esse aut fieri calidissima & siccissima, instar glaciei frigidissima. Taliæ in cœlo contingere nulla hominum ætas & experientia comprobat, quin potius, quotquot in priscis seculis Philosophiæ Theoreticæ, Physicæ imprimis & Mathematicæ debitam narravunt operam, Cœlum ingenitum & incorruptibile asseruerunt. Et hinc, quando Philosophus statuit, Cœlum per naturam esse Corpus, perpetuò, circulariter mobile, ingenerabile, simplex, maxime perfectum, ad rationes, experientiam & consensum Philo-

Philosophorum, imò omnium hominum, qui de Deo opinionem habent, provocare voluit.

XIV. Moveretur autem Cœlum primò ob sui perfectionem & formam tanq. ultimum & supremum finem, cui alijs fines subordinati sunt. Ut Motionis non est Motio, sic neq; omnis motus erit propter motum tanq. finem, sed unus est propter aliū, usq; ad primum, is propter primum movens, qui omnium perfectio & finis merito appellatur esse debet, ne in infinitum aut in vanum abeat vel motus ipse vel nostra intelligenti facultas. Nihil enim sunt omnia, nisi ad Unum omnia. Res vero sublunares moventur ob Cœli motum, hic ut omnium primus, est propter primum movens, quamvis simul multū boni his sublunaribus communicet, dum vaporem & fumum, hætitus calidos humidos & secos, ex terrā ac aqua producit, illuminat & fecundam reddit terram. Poterit n. una res varios fines obtinere; lingua homini ad gustandum per naturam data est, illa etiam utitur ad loquendum, laudandum, vituperandum. In Artibus & Scientijs fines subordinatos sibi invicem esse notum est.

XV. Sensus & rationes confirmingant quod Cœlum Motum, lumen & per hæc Calorem his sublunaribus immittat, quodq; variæ alterationes generationesq; hinc fieri possint. Si vero de Occultis Cœli influentiis & effectis hec rhetorici aliquis velit, putamus quod clariora per obscura sit declaraturus. Ubi locum habet quod Plato de Thalete refert, Thalem dum cœlum suspiceret, intentus sideribus in foveam cadentem, Thracensis quædam ancilla arguisse dicitur; quod quæ in cœlo sunt pavidere contebderet, quæ vero proxima & ad pedes non videbat. Negligere enim aut negare solent, qui de minus manifestis obscurius loquuntur, illa quæ obvia & perspicua sunt. Pro certo constet nobis, cœlestia non habere in se aut communicare aliis quosdam influxus, præter Motum, Lumen & Calorem, sicut non dubitamus, Motum calefacere, calorem diversa, imo contraria, non tantum in subterraneis, plantis, animalibus aliis, verum in hominibus quoq; efficere posse. Affectus, qui non sunt sine corpore, variis modis disponere & excitare vallet calor, & hinc actiones & passiones oriuntur. Prout vero Calor non inest Lumini, neq; lumen per se calidum est aut calefacit, inde visum, non tactum afficit, & in frigido & calido esse potest; sic verosimile non est, Calorem ipsum intellectum humanum alterare, aut Cœlum per operationes

tiones suas ad Virtutes & vitia, aut alia, quæ ad intelligendi & deliberandi facultatem pertinent, homines alicere & cogere. Et quemadmodum, non diffatetur, Cœlum esse mobile & motum efficere, sic negamus Cœlum esse calidum in se, icer calorem producat. Ut, quod per naturam est liquidum, liquorem quoq; conciliat, sed non statim, quod liquorem conciliat, est per naturam liquidum. Eodem modo quod in se calidum est, illud calorem efficit, sed non vicissim, quod calorem efficit, in se calidum esse debet.

XVI. Porro Aristoteles prolixè & accurate exhibere voluit in lib. de Cœlo doctrinam de infinita Cœli magnitudine, eò quod tum maxime erat controversa ac celebris, probat vero Infinitam magnitudinem sensibilem actu dari non posse, cum ex infinitis principiis nihil sit constitutum, neq; infinitorum deitur scientia. Mathematici quidem in abstractione & conceptu mentis infinitum partim additione, partim subtractione statuunt potentiam, non q. actu futurum sit aliquod infinitum, sed quia cogitationis finis non datur. Neq; tamen propriea afferendū infinitum actu in rebus Physicis sensibilibus occurriere. Tō δε τὴν νοῆσιν εἰποῦν οὐδέποτε. Debemus de rebus cogitare quales sunt, non existimare res esse tales, quales cogitamus. Sed ne parviorum astimemus, principia scientiarum destruens, quod committit, qui conceptibus ac Phantasiis nimium credit ac indulget. Ejusmodi homines domi hostem & adversarium habent, intus submurmurantem, tanq; absurdum illum Euryclēm circumferentes, semper incedunt. Seductor abest nunquam, & deceptum continuo comitatur; ut loquitur Plato. Cavendum itaq; maxime ne circa principia heic aberremus: error enim qui circa principia committitur, in iis, quæ ex principiis constant, vel declarantur, cognoscendis, infinitorum errorum causa solet existere. Sic qui minimam magnitudinem excogitarunt maxima Mathematicorum postulata labefactarunt. Cicero, inquit, Ne illud quidem Phisi est credere, aliquid esse minimum, quod profecto, Epicurus, nunquam putavisset, si à Polyezeno familiaris suo, Geometriam discere maloisset, quam illam etiam ipsum dedocere. Statuendum E. simplex circulariter Mobile corpus non esse infinitum. Movetur enim cœlum 24. horarum spatio in orbem, estq; figuræ sphærice, terminis clausum, infinitum autem neq; temporis neq; figuræ neq; intervalli lociq; respectudari potest. Eadem ratio neq; corpora simplicia, quæ per rectam lineam moventur infinita sunt,

sunt, cum loca quibus continentur, & ad quae perveniunt, sunt terminis circumscripta, notum etiam est gravia & levia, ut sunt elementa, determinato quadam, non infinito tempore moveri. Quod si simplicia infinita esse nequeunt, neq; composita s. mixta talia esse querunt. Atqui Universum hoc est unicum, omnibus suis partibus perfectum, neq; plura mundi systemata heic aliquis fingere debet, quamvis notum sit, aliam esse formam Mundi per se, aliam quando cum Materia consideratur.

XVII. Adducenda quoq; est Veterum Philosophorum opinio qui de infinita ac perpetua Mundi duratione ac aeternitate naturali s. producione & generatione quadam ab aeterno vel in tempore facta, verba fecerunt. Si quis rationibus vere & pure philosophicis intentus & assuetus sit, is parum de Mundi totius constitutione, productione, interitu, destructione determinare potest aut deber; Physicis observatis principiis, putabit, Mundum non sumpsisse initium, neq; finem habiturum; hinc ingenitum & incorruptibilem affirmabit, cum principia generationis & corruptionis, non nisi sublunaribus, sensibilibus, quae exiguum mundi partem occupant & constituunt, tribuenda esse, persuasum habeat. Philosophus non tam pro falso, absurdio aut quod omnem potentiam superet, sed pro impossibili, quod difficillime esse sui fieri potest, agnoscit hoc de Mundi productione dogma. Et hinc asserit, Mundum ingenerabilem & incorruptibilem esse, sive corruptetur aliquando sive non. Certum est per principia naturalia generationis & corruptionis neq; factum fuisse nec interire posse mundum. Neq; illa religio, argumenta quae directe contrarium evincent, manifestare potuit. Ut vero Philosopher injuriam facit, qui verba & mentem ejus aliorum trahere & absurdissima quavis eidem affingere audet; Cum hic non nisi variis significacionibus Vocabulorum impossibilis, ingenitus, ingenerabilis, & incorruptibilis explicatis, eo quo diximus modo, sententiam exponat, & argumenta quae aliud monstrant, postulet, pugnetq; maxime contra illos qui aliquam Mundi generationem & corruptionem naturalem statuerunt. Sic impius & nefarius erit, qui DEO Opt. Maximo quicquam Potentiae detrahere, illa quae naturali modo nota non sunt, ex principiis naturalibus & alienis impugnare audet, aut duplice. Veritatem comminiscitur. Nisi quis fallacius ignor. Elenchi, figuræ dictio[n]is, consequentis, ludere velit, sententiam Philosophi, Religioni nostræ adversam esse nemo affirmabit. Declarat enim Philosophus quod generabilia & corruptibi-

lia, alterabilia sunt; quod falsum esse simpliciter & impossibile esse sim-
pliciter non sint idem; Quid sit propriè incorruptibile & ingenerabile,
his aliisq; positis Cœlum ingenerabile, ab elementorum ac illorum, quæ
sunt ex elementis, natura, forma & materia alienum pronunciat.

XVIII. Existimamus cum Herm. Conringio febriculosa aut ma-
lignant laudationem esse, qua ex Ammonio & Joan. Grammatico lau-
daturi Aristotelem de Physicis nihil aliud adducunt, quam inventam ab
illo Quintam essentiam. Si enim hoc cardine versatur Aristotelis gloria,
sane per illa tenuis ac levis est. Neq; Philosophus hoc modo vel nomine
naturam coeli determinavit, prout de Orbibus Coelestibus non ex sua
sed vel Eudoxi vel Calippi & aliorum sententiis loquitur. Cœli attributa
juxta Philosophum sunt, quod sit incorruptibile ac ingenerabile non
obnoxium ulli difficultati & mutationi naturali, semper mobile non
ascendens nec propter gravitatem descendens. Hinc Poëtarum fabula,
qui Cœlo ne aliquando rueret Atlantem supposuerunt; & Platonico-
rum opinio, qua Cœlo animata quondam necessitatem & vim motri-
cem fatalem assignarunt repudianda. Neq; Cleomedi tantum creden-
dum, ut propter illius assertum statuamus, insulsum & vanum esse Ari-
stotelis dogma, quo probat, infinitum inane extra Cœlum non dari.
Optime notæ Philosophi & Mathematici antiquiores, quorum vesti-
giis Aristoteles insistit, adeò extremitate absurdam sententiam non habue-
runt. Neq; evidenter rationem Cleomedes assert, ut sit necessarium confi-
teri, infinitum extra mundum inane esse prout ille loquitur. Recentio-
res quidam; Mundo, ajunt, cogitatio nostra nullos fines tribuere potest,
nam ad quemlibet in Mundo longissimum terminum cogitatione pro-
vecti, semper spatium longum, latum & profundum, quod revera est
corpus, ulterius invenimus, atq; ideo illum indefinitum quidem non ta-
men infinitum affirmamus. Vide Henr. Regium in Fund. Physic.

XIX. Ulterius & hoc considerandum qua ratione Antiqui Philo-
sophi & Mathematici putarint; In Cœlo unum orbem esse sub alio usq;
ad supremum, quilibet itaq; orbis supra quem est alius, in loco erit &
habebit terminum sub se & supra se à quo continetur. Supremus vero
Cœli orbis non erit in loco, curu habeat quidem terminum sub se, circa
quem moveri poterit, sed non supra se. Concava igitur Cœli superficies
mathematicis est nouissimus locus, hanc dividunt secundum longitudi-
nem latitudinem & profunditatem. Longitudinem ponunt à principio
Arietis

Arietis, eam secundum seriem signorum per gradus, eorumque minuta distinguentes. Latitudinem ab æquatore ad Polos. Profunditatem à stellis fixis ad centrum universi. Mensurari etiam solet longitudine à supero ad inferum, latitudo à dextro ad sinistrum; profunditas ab anteriori ad posterius & sic superum, dextrum, anterius sunt principia long., latitud., & profund. In Cœlo tanq. in Corpore sphærico Æteri sive ratione nostri potissimum loci differentiae tales dantur. Hinc Plagas vel plagiæ Cœli posuerunt, quæ sunt circa superum & inferum, & sic ratione polorum superius & inferius hæmisphærium per æquatorem constitutum. longitudine vero erit distantia inter polos. Ad ortum erit hæmisphærium dextrum, ad occasum sinistrum, incipit enim stellarum fixarum motus ab ortu; hoc respectu polus antarcticus est superior, arcticus inferior. Unde nos in hæmisphærio inferiori & ad sinistrum habemus. Intelligenda autem hæc esse Philosophus innuit ratione supremi cœli, nam ratione cœli planetarum quod ab occasu in ortum moveretur hæc inverso ordine sumenda sunt. Quæ, ut omnia solitus fuit, perspicue docuit, Vir Incomparabilis M. Hartvius Wichelmannus Princeps ac Author genuinæ Philosophiae Aristoteli Praceptor meus, feliciss: memorin dispp. de Loco & tempore.

(exhibeamus.

XX. His sequentia anneximus, quo reliqua ex doctrina de cœlo

1. Quantum Physicæ Scientiæ est de Mundo tractare, in tantum de illo egit Philosophus in lib. de Cœlo, neque necessarium erat peculiari libro talia vel repetere, vel obscurius proponere aut aliena hic immiscere, quod facere videtur Autor libri de Mundo. Non igitur est Aristotelis, ut declarat doctrinæ ipsa ratio, stylus laxitas, dictioque liberalior & poëticis floribus oratorisque; ornamenti passim illustrata; Rhetorem & Historicum prodens potius quam Philosophum, prout scribit Du Vallius.

2. Immensam innumerorum & ingentium vorticem se mutuo immediate contingentium congeriem, Cœlum appellare necessum non est, statimvero non esse incredibilem motum Cœli ab ortu in Occasum 24. horarum spatio, certum enim est quod Cœlum tanq. divinum aliquod corpus, semper circulariter moveatur, motu perfectissimo & radii magnitudini maxime conveniente. Deus enim primus motor, prima causa efficiens, forma quæ rebus esse largitur ac finis est, qui primo Cœlum, hinc & reliqua moveat; ita ut ipse maneat immobilis & immutabilis. Cumque mobile & Movens sint relata, forte absurdum non est dicere, Primum Motorem & primum mobile simul esse quæ talia; licet alio

respectu is qui primus est Motor ante Cælum & alia mobilia esse possit.

3. Juxta Aristotelis sententiam non sunt plures intelligentiae orbium motrices statuendæ, sed una est Intelligentia quæ in summo Cælo refidet peculiari ratione, virtutem movendi tribuens omnibus Cœli partibus, quâ mediante diversimodè moventur. Ut Anima sentiens in corde, multis partibus corporis vim sentiendi tribuit aliam atq; aliam. Plura vero principia motus s. plures motores primos ponere, omnino absurdum esse docet Philosophus, l.14. Met. cap. 6. & alibi. Hinc insigni Homeri sententia. οὐν ἀγαθὸς πολυνομεγεῖν εἰς νοίεσθαι εἴσω sapientiam primam obsignat. Omnia vero ordinat, disponit, movet, intelligit Deus licet non omnia æqualiter & eodem modo. Laertius de Arist. refert, quod Deum incorporeum definierit, ejusq; providentiam ad cœlestia usq; pertingere, ipsum vero immobilem esse; porro terrena omnia ad cœlestium congruentiam ordinemq; disponi affirmat. & præter elemata quatuor esse & quintum aliud, ex quo cœlestia consistunt, ejusq; motorum orbicularem esse varium. Ex ipsis Arist. scriptis hæc quam vera sint deprehendere licet.

4. Numerum & ordinem Sphærarum & lationum Cœlestium Philosophus ait petendum esse ex maxime propria Mathematicarum disciplinarum Philosophia. unde qui cquid Philosophus de Orbibus & sphæris in lib. de Cœlo & Metaph. habet, id omne ex Eudoxi & Calippi aliorumq; opinionibus & hypothesis adductum suisse constat. Hinc probabile est, illos non reijcere sententiam Arist. qui hanc de Circulis doctrinam infringere conantur. Multo minus illos labefactare thesin Arist. qui Concentricos, Excentricos, Epicyclos à Pythagoricis & Hipparcho introductos & confirmatos obscuritatis aut falsitatis accusant. Putamus tamen quod non sine causa ejusmodi tradere voluerit Philosophus ex Astrologia in Phys. & Metaphys. quo eo melius motum Cœli & prium Motorem monstraret & demonstraret. Et observandum, quod ipse Philos. his opinionibus ac inventis parum fidei adhibeat & injungat quo quilibet consulat viros hanc in arte exercitatos & inventis debita ratione aliquid subinde addat. Prout enim Physica subordinata est sapientia prima, sic Mathematica ut Astrologia Physicæ, unde ex Astrologia aut Mathem. Physica principia neq; impugnanda neq; adstruenda sunt, sed talia in Astrol. ponenda sunt principia quæ in phys. & Metaph. fundamentum obtinent, notitiamq; Dei naturalem non pervertant, verum promoveant.

f. Plato

5. Plato Timaeum Astronomiae peritissimum h. m. differentem introducit. Opificem & patrem universi, Cœli s. Mundi invenire difficile, & cum jam inveneris prædicare in vulgo nefas. Et cum mundus omnium genitorum sit pulcherrimus & ejus Autor causarum omnium optimus, dubium non est, quin ad id exemplum sit effectus mundus, quod ratione & sapientia sola comprehendendi potest & immutabile permanet, alias rationem originis naturaliter explicare difficillimum est. Ideoq; hic sufficiunt verisimiles rationes quæ se habeant ad demonstrativas orationes tanq. simulacrum ad exemplar. Idem Afferit Deum in medio mundi collocasse animam, eam per totum tetendisse ac voluisse ut solum circulariter moveretur, propter illam virtutem, nullius alterius indigens. Deinde de sphæris & orbibus quædam afferit, ex illa quæ tum usitata erat Astrologia. Si commoda quadam explicatione hæc probabilia aut vera fieri possent, maximam partem hæc toleranda existimamus. Potiori autem jure illorum opinionem non veneramur, qui fluidum Cœlum, elementaribus qualitatibus obnoxium, & in illo varias stellarum generationes & corruptiones, & nonnulla his similia se observasse atq; demonstrasse autemant. Quam longissime vero ab sit à nobis, ut debitate institutas Observationes Optim. Mathematicorum insuper habeamus, quibus multum temporis & fidei ipse Arist. tribuit. Sed forte, falsis hypothesis positis, vitio instrumentorum, aut eorum, qui parum accurare in re magna versantur, non omnia ex observationibus legitime deducta aut probata esse, nonnemo diceret.

6. Ex sententia Aristotelis statuendum, non omnia quæ sunt in Cœlo quat. Cœlum sumitur pro Universo quod continet omnia, esse ejusdem naturæ. Datur enim aether. Cœlum in specie dictum & alia Cœlestia Corpora quæ duplice motu in orbem feruntur, obsui perfectionem, tum etiam ut his sublunariis succurrant, dantur primæ substantiæ mobiles generabiles, quæ sunt principia generabilium & illa ratione situs, qualitatum sive differentiarum essentialium inter se contraria, tum partes mundum integrantes, tum generabilium causæ appellantur. Ex quibus Terra in medio quiescit, circa quam Cœlum semper in orbem fertur. Si autem unum elementorum generabile sit, cerium est & reliqua esse ac per consequens generationem. Propter Cœli motum & elementorum mutationem sit, ut continua sint & eodem modo semper vel plerumq; se habeant tempora & generationes specierum. ut hyemam se-

quatuor Ver. hoc æstas, hanc autumnus & hunc iterum hyems, ut homo hominem, equus equum generet. Item, ut non semper sit hyems, æstas, ut eadem planta, idem numero animal non semper maneat.

7. Determinandum quoq; quod Círculus sit prima figura constans linea perfecta, quodq; primo corporis. Cœlo conveniat ejusmodi figura, Cœlum enim maxime esse debet cui nihil addi potest, & ipsius motus Circularis ratio & natura postulat tale Sphæricum Corpus. Si enim alterius figurae triangul. quadr. ovalis &c. esset, dum in orbem fertur, non eundem semper locum totum occuparet, sed extra se locum & vacuum requireret. Propter Cœli autem figuram talem, reliqua quæ in Cœlo sunt, similem figuram maximam partem videntur obtinere, hinc superficiem etiam aquæ rotundam esse animadvertisimus & de reliquis mundi partibus idem asserendum, quo exactissime rotundum sit Cœlum; & hoc Universum, neq; ullum dari possit opus s. hominum manu & arte s. natura constitutum, quod hanc fabricam imitari nedum superare possit. Accedit quod melius sit Cœlum moveri ab ortu per meridiem tanquam dextra parte per anteriorem, quam ab occasu tanquam sinistra parte per medium noctem per posteriorem. Honorabilior enim esse solet pars dextra sinistra, anterior posteriori, hinc magis probabile est Cœlo talem motum competere, quam alium quedam. Hanc primi Cœli motum maximè regularem & æquabilem esse judicamus, exinde, quia neq; intensionem neq; remissionem neq; quietem ullam tribuere possumus Cœlo; movetur enim circulariter motu continuo & sempiterno, hinc simplicissimum ab omni mutatione separatum mobile est, & Movens incorporeum, æternum, optimum, vivens, esse certo constat. Nulla E. hic inæquabilitas, defectus aut motus imbecillitas speranda, qualis evenit in animabilibus, quæ ut alias illa quæ contraria continent corruptionem sunt obnoxia, dum materia ad nutritionem apta citius absimilit vel contraria destruentia iis obvenient, Imbecillitas enim est præter naturam. In cœlo non animadvertisimus, motum nunc celerorem nunc tardiorum, qualis est in illis quæ per naturam s. principium intrinsecum mobilia & corruptibilia sunt; Cuivis enim tali mobili determinatum est tempus in quo moveatur & moveri desinet. Unde quod Cœlum ab intrinseco principio moveri nequeat, concludimus.

DE STELLIS.

I. Cum in Cœlo sint Stellæ, & notum sit in illo nihil heterogenei dati pos-

si posse, paret, Stellas ejusdem naturae esse cum Cœlo. Proinde prisci quoq; Philosophi, qui Cœlum igneæ sortis putarunt, Stellas igneas dixerunt & propriea calefacere. Sed ab hac sententia merito discedendum, cum constat quomodo Stellæ calefiant motu, dum aërem sibi subjectum alterant, rariorem reddit, & ita jam tum ad ignis & calidi naturam quasi primum & propensum aërem, facile calefaciunt. Mitum vero esse non debet, id quod in se calidum non est, posse calefacere; neq; enim per inductionem probatum est illud nomine & Philosopho indignum axiomæ: Quod quis non habet, alteri dare non potest. Deinde si crassa corpora motu calefieri possunt, ut sagittæ, multo magis aëris incallescere, & calorem aliis communicare poterit, prout sensus quando passi sunt agere solent. Motus autem ille non reddit ipsas Stellas calidas neq; illæ ab inferiore aëre quicquam patiuntur; animadvertisimus etiam maxime calorem in his sublunaribus, quando Sol magis propinquat motu suo ad nos vel verticibus nostris imminet, ut in æstate & meridie; & cum idem contrariorum causa sit, Sol absens sua causa frigoris erit. Ut vero non statuendum Stellas in se frigidas, humidas, siccas esse, licet siccitas frigid. humid. causæ sint, pariter etiam de Calore dicendum.

II. Negare nemo audet Stellas moveri modo sensibus uti velit, aut in omnem fidem & certitudinem denegare nolit. De eo saltem dubitare quidam voluerunt, an forte hoc ita saltem appareat hominibus inhabitantibus terram mobilem, prout navigantibus littora videntur recedere; an Cœli illud spatium in quo est Stella tantum moveatur, ita ut immobilis sit stella per se, & moveatur per accidens ut pars cum toto, an vero & Cœlum & Stella moveantur. Philosophus Mediam questionem affirmare & argumentis declarare voluit; determinat itaq; quod duæ sint primorum motuum in Cœlo differentiæ; quædam celerius, quædam tardius moveri sensu & ratione manifestum est. Majora enim ceteris paribus celerius moventur, quod in his sublunaribus & celestibus observandum. Lapis major ex eodem loco, eodem tempore deorsum projectus celerius movetur parvo lapide. & totum cœlum celerius moveatur quam hæc vel illa Stella. Cum E. non sit proportio inter magnitudinem & velocitatem motus ratione Cœli & stellarum, fieri nequit ut hæc simul eodem modo moveantur. Si vero stellis non competit ulla species motus circularis per se, aut alterius cuiusdam motus localis, absurdum non erit dicere Stellas per se non moveri. Qui enim genus vel quæ loco generis sumitur

Somitus competit, ei aliqua species aut quæ specie rationem habet tri-
buenda venit.

III. Aristoteles putat probari posse Stellis neq; volutationem, neq; conversionem, neq; progressum, saltum aut alium ejusmodi mo-
rum per se tribuend. esse. Proprie loquendo in eodem loco subsistunt
quæ convertuntur, quod Stellis non competit. Neq; enim Sol quando
oritur & occidit verè convertitur sed viſus nostri hæc est imbecillitas;
cui etiam adscribend. quod Stellæ fixæ tremere videantur. Scilicet o-
culi vacillant & titubare quasi incipiunt, adeò dissita dum observant. Id
vero se nōbus minime fallentibus quis percipit, Stellas subinde alium atq;
alium occupare locum. Et quia quod volutatur quodammodo etiam
convertitur, & subinde aliam atq; aliam sui partem ostendit, volutari
Stellas probabile non est. Nemo enim certè affirmare poterit se aliam
atq; aliam faciem s. partem Stellæ ut Lunæ unquam vidisse. Si vero qui-
dam Stellis assignare cupiant motum progressivum, dicant, an & qua-
ratione motus talis fieri possit sine instrumentis, an forte natura fru-
stra & sine fine suppeditarit animalibus motum & organa? In Stellis
non est principiū internum nec externum, ad quæ inniti solent, quæ
progrediuntur s. quoad partes s. quoad totum moveantur. In omni
animali Cor vel analogum cordi, ubi Spiritus gènerantur qui robu-
membris ad motum aptis addunt, est principium motus intrinsecum,
quod in animalis medio est, requiritur etiam aliquod extrinsecum, quod
quiescere debet, quoties sit motus progressivus, neq; explicare poterie-
quispiam, quo pædo Stellæ moveantur quatuor notis, per diametrum,
qualis motus est in sanguineis quæ progrediuntur. neq; enim pedibus
brachiis, neq; aliis, pinnis aut flexu quodam utuntur ad motum. Nisi
quis pisces in aqua, aves in ære cum stellis in cœlo sine ratione compa-
rare velit; aut dicere stellas natare, volare, modo cœlesti; hoc enim est
suave somnium. Proinde cum motus species quæ competere possent
magnitudinis s. corpori circulari, non convenient stellis, dicendum stel-
lis una cum Cœlo moveri, sive hypothesi mathematicorum assempia.
Stellas, Una cum orbibus, quibus inhærent, ut clavi rotæ infixa cum rota,
moveri; prout illud explicarunt quidam. Aristoteles sufficienter mo-
tum stellarum explicat, dum remotis alienis, confirmat eum maxime
convenientem esse figuræ sphæricæ & fieri non confuso & præter natu-
ram modo incredibili, qualis continget si volutatione, conversione,

pro:

progressu quodam locum mutarent; cum nihil inæquale, nihil promi-
nens in stellis occurrat, sed maxime regulari motu stellæ moventur sin-
gulae una cum isthac Cœli parte in qua sunt.

I V. Lepidam & non nisi Musicis & Convivis fortè dignam Pythagoræorum sententiam de harmonia & concentu proveniente ex stellarum motu celeriori & tardiori adducere voluit Philosophus, ne quid heic prætermitteret. At probabile non est, ex admirabili magnitudine aut motus proportione concludendum esse ad stellarum concentum & sonum, qui tamen, contra naturam soni, ob consuetudinem quandam audiiri nequeat. Forte nemo credit homines adeo surdos aut stupidos, ut inter silentium & sonum discrimen agnoscere nequeant, neq; verisimile est fabros æris, sonum ejus non sentire, licet quotidie res trahant, patiter si pro magnitudine & celeritate corporū cœlestiū sonus fieret, is quā maximē cum lassione sensorii perciperetur, neq; vero stellæ per se sonum efficiunt cum perse non moveantur, neq; Cœli partes, cum ordinario & æquabili motu moveantur, neq; in se invicem impingunt. Censorinus Pythagoræ sententia proponit: Pythagoras prodidit, hunc totum Mundum Musica factum ratione, septemq; stellas inter Cœlum & terram vagas, que mortalium geneses moderantur, motū habere ἐγκυθιον & intervalla Musicis diastematis congrua, sonitusq; varios reddere, pro sua quamq; altitudine, ita concordes, ut dulcissimam quidem concinante melodiam, sed nobis inaudibilem, propter vocis magnitudinem, quam capere aurium nostrarum angustiae non possunt. Ad hanc notam Tychonis Brahe verba: Quod fertur in eo quod non movetur sonum facit. Quod fertur in eo quod movetur non facit sonum. Et notum est quod sonus non fiat nisi in aëre, si autem aëris elementaris orbibus cœlestibus includeretur, consentaneum foret è concitatissimo siderum motu in gentem sonum cieri, qui procul dubio auditum nostrum percelleret, vel constantissimam harmouiam labefactaret. Et recte Lindembrogius ad Censor. Expluditur, inquit, hæc Pyth. sent. ab Aristotele ut quæ jucunda magis quam necessaria subtilitate adducitur. Illam modulatam & consonam stellarum agitationem χορεία dixerunt Platonici. Neq; probare poterit Gassendus, Pythagoram non intellexisse sonoram quendam harmoniam.

V. Ne in messem alienam falcem mitteret Philosophus operosam illam de situ & ordine orbium, ut vocantur, cœlestium, sententiam Astro-

strologis & de Sphæra doctoribus relinquere debuit. Constituerunt autem tot orbes Mathem. ut eo melius motum stellarum explicarent & Phœnix excusarent & declararent. Neq; proprieas reprehendendi sunt Astrologi, nec quærendum cur tot circulis stellæ moveantur, ut non quærimus cur tot nervi arteriæ sint in corpore humano, tot digiti in manu. Notum vero est quod alium atq; alium ordinem sphærarum cælestium posuerint Antiqui; Plato ex Mathematicis Lun. Sol. Ven. Merc. Mart. Jov. Saturn. Ptolomæus Lun. Mercur. Ven. Sol. Mart. Jov. Satur. stell. fix. Alij Coelum Crystallinum s. aqueum, hinc primum Mobile collocant. Similiter quæratione ab diversum motum varios & numero plurimos 47. videlicet circulos, epicyclos, orbes deferentes & revolventes statuerint Astrologi in Physicis declarandum, probandum aut refutandum non est. Philosophus in Metaph. ex mente Mathem. quædam de hisce dissenserit. Accidit vero propterea ut planetæ celerius aut tardius moveantur, quod propinquiores vel remotiores sint à primo mobili, quod motu celerrimo agitatur, & hinc sit ut alijs videantur alijs superiores. Interposita vero sententia de figura stellarum sphæræ quæcum ex motu earundem tum ex aliis indicis & rationibus constat, utpote quod nullam eminentiam stellæ præse ferant, quod Luna & aliæ stellæ quæ eandem naturam cum reliquis obtinent, globosæ appareant. Luna enim & in principio & in fine mensis falcata quin & alias semper orbicularis apparet. Qualis vero est sectio corporis, tale ipsum corpus esse, docent Mathematici. Imò si plana vel concava essent astra, non omnibus qui ex diversis locis in eodem tempore illa conspicunt, circularis esse figuræ videbentur, ut Ptolomæus autem. His delibatis monstrat Philosophus probabilibus saltim rationibus quomodo quædam stellæ pluribus quædam paucioribus motibus moveantur, & cur in aliqua parte Cœli sit tanta stellarum copia; Præmitit vero veneratione dignum esse, non temerarium, qui ex amore Veritatis & Philosophiae, exigua saltim de his arduis quæstionibus rationes colligere & proferre Conatur. Deinde prout in doctrina de numero & ordine sphærarum provocat ad Majorum traditiones ēt μύθος κύπριαν propositas, ita h. l. Observationes Ägyptiorum & Babyloniorum quia & propriam experientiam adducit & laudat, ut constet non casu aut temere, quædam pluribus, quædam paucioribus motibus moveri, sed hoc fieri ob finem à natura & Deo Opt. Maximo destinatum. Nec sine causa superior quædam Cœli pars ornata.

ca

ta multis stellis videtur, cum constanti motu efficiat quo diu & feliciter
se habeant hæc inferiora & sic simplex motus multa corpora & unum
aliquid corpus multis motibus moverur. Philosophus in doctrina de
Tempore declarat, quomodo Mo^{is} colestis, qui æquabilis est & videtur,
ut supremi cœli s. æquatoris sit mensura temporis & motus, & quod
Cœli motus fiat in tempore quodam. intellige non motu universum
sed singulas motus periodos.

VI. Adducit Philosophus quinque differentias & gradus eorum quæ
propter finem & optimum moveri soleant. illa sunt optima quæ finem
cujus gratia mobilia sunt, possunt consequi sive nullo, s. uno s. plurimis
bus id fiat motibus. Meliora in comparatione ad alia sunt quæ licet finem non
assequantur, proxime tamen in eis accedunt. Optimum absolute est in uni-
verso primum principium movens quod ipsum est in se bonum & finis
omnium, sed inter Mobilia primum mobile est optimum, quod unico
motu æquabili, continuo, moveretur; huic succedit stellarum fixarum Cœ-
lum, huic planetarum, demum terra & reliqua clementia quæ vel qui-
escunt vel motu suo perpetuitatem & perfectionem qualis est in Cœle-
stibus adeoq; finem obtinere nequeunt. Quod Luna, Venus & Mer-
curius Matri stellam & Luna Jovem subierit (idem etiam Anno Christi
1646. d. 23. Decembr. horæ 8. vespertini factum vidimus) testatur Philo-
sophus ea fine, ut ostenderet quænam stella sit superior altera, & posita
Mathematicorum de situ ac ordine planetarum & orbium sententia, ea
quæ Physicæ erant considerationis, in hac de stellis doctrina concludit.

VII. Patet vero ex illis quæ allata sunt. Aristotelem de stellis ea-
rundemq; sphærism maximam partem disseruisse non tam ex sua quam
Priscorum Mathematicorum sententia; quam candide recitat, neq; est, ut au-
diamus illos, qui, ut ajunt, ex Simplicio, monstrare volunt, Aristotelem
invidiæ stimulis agitatum Babyloniorum cœlestes observationes ad
1903. annos temporibus Alexandri Babylonia surripuisse; & ex hisce
observationibus nonnullas à Calippo & aliis Mathematicis esse conser-
vatas, quæ postea ad manus Ptolomæi devenerint, unde factum ut Pto-
lomeus fecerit antiquissimum omnium observationum Ecclipsin Lunæ 29. mensis
Thoth anno 1. Merdackenpad. initio Nabonazaris anni 27. posteriorem.

z. Ægyptiorum & Chaldæorum studiis multum tribuendum esse, circa
Ægyptum enim Mathematicæ artes constitutæ sunt; propter admiratio-
nem ibi primo homines, sacerdotes incepérunt Philosophari, à princi-
pio

pio admirando ea quæ faciliora erant, deinde de majoribus, ut de passio-
nibus Lunæ & eorum quæ circa solem & stellas sunt. Notum autem est
quantum his observationibus tribuerit Philosophus, & quantum hodie
abierint à prisca illa Mathematicorum, Physicis & legitimis observatio-
nibus ac argumentis approbata doctrina, quæ ad Ptolomæi, Albategniij
& Alphoni se nroca fuit continuata.

3. Alias qualem Typum mundi nunc exhibeant Turcæ memoria
prodidit Joh. Laurembergius, scilicet Universam mundi compagm di-
stinguunt per septenas mensuras. A Centro Terra septem sunt gradus
ad tenebras, à tenerib[us] ad frigus, à frigore ad gehennam ab hac ad Ca-
lorem totidem gradus esse somniaat; hinc aërem Dæmoniorum habita-
culum, porrò Lunam ponunt, ubi nutrit[us] & instabilitas. Mercur. ubi
scientia & dolus. Venerem ubi delicia & luxuria. Martem ubi Fortitudo
& Bellū. Jovem ubi potentia & Tyrannis. Saturn. ubi ætas longa & mor-
bis. Solem ubi caput. Rex à quo tanq[ue] supremo ministeris reliquorum
coercentur & infundantur mortalibus. Ultimo collocant Lucernam
s. Firmamentum ubi sit Requies & Cœlorum portæ. De hoc Typo Lau-
remb. scribit; quod sit egregium eruditionis barbaricæ monumentum,
in quo intueri liceat, in nanem gentem quæ truculentia & armis ma-
gnam sibi terræ partem subjugavit, ingenio sibi Cœlum subjugare non
potuisse, longeq[ue] abesse à vera Musarum gloria & Scientia siderali. So-
lent vero nonnulli mirabiles stellarum effectus enarrare & quasdam be-
nignas quasdam malevolas appellare, an forte hi simile quid com no-
vis illis Cosmographis sentiant, videant.

4. Optimi Mathematici non moltum tribuere solent prædictioni-
bus quæ sunt exposita astrorū à quibusd. Calendariograph & Geneth-
liac. quæ enim à causis incertis & mutationi obnoxiiis, ab hominū consi-
liis & agendis libertate dependent, illa regulis quibusdā infallib[us] determina-
ndā non sunt. Similiter non poterit probari illa sententia, quā docent
quida n; Cum aliis stellæ vagæ sint partim masculini generis, partim fœ-
minī, Mercurium esse generis Epicœni. Luna & Venus fœminæ sunt,
Sol, Mars, Juppiter & Saturnus: masculi, solus Mercurius q. Hermaphro-
ditus ait Cl. Salm. si sex Fir nico. Qui physicis rationibus sunt assueti,
verisimilem aut Mathematica demonstratione haut roboratam existi-
mant esse opinionem afferentium tellorem quam nos incolimus, esse.
Planetam qui cum aliis Planetis circa solem intraq[ue] stellas fixas à mate-
ria.

tia subtili circumferunt; h. m. ut sol sit centrum, primus à sole sit Mercurius 2. Venus 3. Tellus 4. Mars 5. Jupiter 6. Saturnus. Verulamius patet, istam sententiam de Ratione Terra, quæ nunc quoq; invaluit, quia Phœnomenis non repugnat, ab astronomicis principiis non posse revin- ci, à naturali tamen Philosophia principiis recte positis, posse.

5. Ex Aristotele manifestum est, quod Pythagorici dixerint, Terram extra mundi medium sitam & circa illud in orbem moveri; hodie idem statuunt, qui solem pro mundi medio agnoscunt. Pythagorici autem nostra terræ dixerunt quandam invisibilem esse oppositam, alij plures ter- ras, quæ crebriorum eclipsis Luna causa essent, posuerunt. Quidam putarunt, quod Terra circa axem suum aut circa centrum mundi movea- tur. Has sententias Dialectico & physico modo examinat Philosophus, & inquirit quousq; & qua ratione de his & similibus recte querendum sit. Ne ad aliena abductio fiat, diversarum disciplinarum principia con- fundenda non sunt. neq; inextricabiles sophistarum dubitationes pro- ferendæ, sed bene dubitandum, & probabile vel domestica ratione in- venta acquiescendum. Si vero probatur ficerit Terram esse medium universi, & in eo quiescere putari, non recedendum esse à recepta sen- tentia, licet argumenta contra sententiam omnia, resolvere aliquis ne- quest. Aristotelicis argumentis id hactenus probatum fuisse putamus. Plinius inquit: Terram esse mundi totius medium haut dubiis constat argumentis, sed clarissime æquinoctiū paribus horis. Nam nisi in medio esset, æquales dies & noctes haberi non posse deprehenderunt; & dioptræ quæ id vel maximè confirmant: Cū æquinoctiali tempore ex eadem linea ortus occasusq; cernatur & solstitialis ortus brumalisq; occasus. Quæ accidere nullo modo possent nisi in centro sita esset Terra. Patet etiam ex singularum partium terre sortis naturali motu quod in suo loco in- terra scilicet quiescant. Moventur enim omnia gravia deorsum & levia sursum & pondera ad medium quod & terræ & universi medium est feruntur, neq; ullus motus animalium aut gravium contiuus & certus fieri posset, si ipsa terra ad quam innituntur animalia dum progrediun- tur esset mobilis vel subduceretur. Neq; quis comparet Terram mobilem & quæ in terra moventur, pisci vivario inclusa & navi per aquam pro- videnti, ni posset eadem motus principia heic assignare. neq; clarum est quomodo propter motum Cœli ita deprimantur ædificia, & quæ sunt in terra, ut ob terræ motum qui illa simul movere debet, non disjiciantur.

tur. Quæ alias de numero, nominibus, magnitudinibus stellarum ab aliis nostra laude majoribus Viris afferuntur ea heic ex Sphær. & Astron. transscribere nolumus.

6. Philosophus etiam terræ figuram rotundam esse putat; in quam sententiam ita loquitur Ptolomæus: Quod terra secundum omnes partes accepta sphærica sit ad sensum sic maxime intelligimus. Solem & lunam aliasq; stellas videre licet non secundum idem in omnibus terris oriri atq; occidere, sed prius semper Orientalibus, posterius Occidentalibus. Inde Ecclipses Lunares observatas conscriptasq; esse ap. Orientales legitimus horis posterioribus, prioribus ap. Occidentales. Plinius: cum elemento aquæ terram rotundam esse statuit. Subiungimus quod Ptolomæus dicat: Magnitudinem solis 170. vicibus proximè terræ magnitudinem continere; alij ut Clavius 166. Tycho 140. Putant etiam Saturno. Iov. Mart. majores esse Terræ. Lunam Vener. Mercurium minores. Ægyptij putarunt septuagiesbis contineri in terræ quantitate Lunæ quantitatem. Anaxagoras tantam pronunciavit Lunam esse quanta est Peloponnesus. Ut refert Plutarchus. Totus ambitus Terræ continet juxta Aristotelem 400000. stad. si. 50000. mill. iuxta Eratostenem 252000. stad. 21500. mill. Juxta Hipparchum 277000. stad. 34625. mill. juxta Ptolom. 180000. stad. 22500. mill. juxta Recen-tiores 152640. stad. 19080. mill. Diameter Terræ juxta Aristotelem con-tinet 117972. stad. 15009. mill. Eratosth. 80181. stad. 10022 mill. Hipparch. 88116. stad. 11017. mill. Ptolom. 57272. stad. 7159. mill. Recent. 48567. stad. 6070. millaria; Hæc & similia quæ Mathematicis relinquenda, va-riant ob hypothesium varietatem, prout alias etiam Chronologi discre-pare inter se solent; ut in Anno Mundi in quo Christus sit natus dissi-dent ad 3032. annos &c.

7. Maculas in ipso sole & Luna observatas fuisse & observari refe-runt, adeò densas & copiosas ut non tantum per dies aliquot sed plures etiam menses sol sine radiis fulgidis tristem Lucem præbeat. Luna Mon-tes, valles, sylvas, maria videatur obtinere. Hæc eo loco habemus, quo novarum stellarum generationes, Jovem cum circumjovialibus. Vene-rem cum pedissequis: nec dubitamus quin hæc quibusdam probabilitia videri possint, præsertim genuinis Physicis argumentis non attentis.

DE ELEMENTIS.

I. In hac doctrina præsupponenda est variæ acceptio Vocab. quam tradit

tradit Philosophus absolute dictus. Sumitur hoc in Physicis non uno modo; interdum substantiae simplices mobiles s. sint generabiles singularebiles nonnunq; principia substantiae, interdum Corpora non raro principia corporum s. magnitudinum elementa vocantur. hinc Cœlum stellæ, ignis, aëris, aqua, terra, eorumdemq; principia tali nomine declarantur. Licer vero quæ Physicæ sunt considerationis proprie dicendo non sunt Corpora, aut principia, affectiones, proprietates, operationes corporum, sed potius ad substantiam revocari possunt; unde Physica Philosophia & sapientia secunda dicitur, quia de substantia mobili agit. propter illam tamen quam cum Mathematica habet cognitionem, plura differit de Corporibus; omnes enim substantiae naturales aut quod corpora habeant dicuntur corpora, aut earum principia quia trinam dimensionem obtinent elementa & corpora appellantur. Cum vero jam dictum sit de primo elemento s. substantia mobili incorruptibili, de reliquis breviter videndum quæ generationi & corruptioni sunt obnoxia. Historia autem nota sit qua ratione prisci Philosophi hæc declararint. Melissus & Parmenides generationes apparentes docuerunt; sed h. m. res sensibiles earundemq; noticiam negarunt. Hesiodus & primi Physici, qui quod Motum admitterent Theologis contrarij erant, omnia facta statuerunt, quædam autem ex factis non interire. Nonnulli Mathematicis principiis assueti, omnia ex illis voluerunt deducere, & hinc in errores prolapsi sunt, cum alias certa docere potuerint. Mathematica enim parè talia ita sunt comparata, ut refutari nullo modo debeant vel possint. Quod si Mathematici de rebus Physicis incommodo loquantur, ex Physicis sunt informandi; ita physicus etiam novisse poterit, an continuum sit ex iudicabilibus, an lineæ componantur ex punctis; & hæc negat, ut, quomodo Quantitates s. magnitudines, quas motus sequitur, se habent, explicet. Passiones certe duobus modis esse divisibilis constat, quoad speciem ut color in album & nigrum. Opinio in veram & falsam dividitur. & per accidens quia subiectum cuius sunt divisibile est. Ut vero primi illi Theologi & physici non obscure per experientiam, sensus & rationes refutantur, sic etiam illi Mathematici, qui cum Timæo omnia ex punctis, lineis, superficiebus & corporibus, aut cum Pythag ex unitatibus & numeris constare & facta esse putarunt. Eadem enim ratione illi motum rerum sustulerunt, cum puncta gravitatem levitatemq; obunere nequeant, & per consequens nec lineæ, nec superf.

nec

nec corpora quæ sunt ex punctis. Grave enim & leve continuum & divisibile esse debet; at puncta indivisibilia sunt, unitates continua non sunt. Ejusmodi E, Mobilium elementa aut principia non sunt ponenda.

II. Quod autem Motus insit omnibus corporibus simplicibus s. substantiis primis magnitudine præditis, omnino manifestum est, & cum motus sit essentia mobilium, dicendum motum secundum naturam esse unum, præter naturam varium; quod si evidenter modo constet aliqui, dari Motum rerum varium præter naturam, colligat unum quoq; motum secundum naturam singulis rebus esse. Et si quies rerum quarundam datur, etiam Motus, per quem quietem acquirunt, dari poterit: sic si Empedocles terram propter conversionem quiescere dixerit, statuit etiam dari quendam terræ Motum; ac si quies sit naturalis, motus etiam naturalis erit. Non autem licet ex omni Motu sed tantum gravium & levium, quæ per rectam lineam moventur, concludere quietem. Illud enim quod per lineam rectam movetur, alicubi stet sive quiescat necessum est, nisi quis infinitum Motum, magnitudinem & spatia infinita cogitare velit; in his quibus competit natura principium Motus & quietis. Platonis etiam sententia de inordinato Motu ante Mundum rei scienda est, neq; enim explicari poterit, an motus ille fuerit per naturam, & sic Mundus dari debuit, an contra naturam & sic diurnus & ab intelligentiæ esse haut potuit, neq; rebus sensibilibus ut elementis competere. η γαρ τάχις η ὀρεία, τῶν ἀνθρώπων Κύρος εἰνι, prout autem inde non sequitur rerum confusio, quia alio atq; alio motu moventur, quæ non sunt ejusdem generis sortis s. naturæ. Sic in infinitum res moveri, neq; ad primum mobile & movens de veniendum esse omnino Philosophiæ hui contrariatur. Cognoscimus motum rectilineum elementorum & aliarum rerum physicarum ex gravitate & levitate, pondus enim s. gravitatem rebus inesse quilibet animadvertisit sensibus, inde est, quod corpus aliquod æquali tempore magis spatiū motu conficiat, aut celerius moveatur quam alterum; sieri autem nullo modo poterit ut æquali modo & tempore sursum & deorsum feratur corpus; quod fieri si gravitatis & levitatis ratio non attendenda. Maximè autem ita, moventur quæ naturam s. principium motus & quietis internum habent & differunt ab iis quæ moventur juxta potentiam, quæ est principium motus in alio quæ est aliud. sic lapis natura propter gravitatem descendit, juxta potentiam moveri potest sursum. Qui enim secundam potentiam

potentiam movet, utitur aere tanq. instrumento & illud quod ita mouetur, praeter naturam aliquid patitur, ut contingit in projectis. Elementa etiam cum sint ex numero sensibilium naturalium gravitatem & levitatem habere debent.

III. Notandum Elementa esse prima quae in sunt & componuntur, res ita, ut in ea ultimo dividi possint & quidem simplicia esse debent, ut in alia specie diversa dividi nequeant. Sic elementum corporum, erit primum corpus, quod in aliud corpus dividi non potest, quodque reliquis corporibus actu vel potentia inest. Hoc sensu Aristoteles En pedoclis sententiam qua numerum elementorum constituit, approbat & quatuor elementa dari, ex Motu & differentiis substantialibus evincit. In lib. autem de Cœlo potissimum haec elementa, ut sunt substantiae mobiles s. corpora naturalia & partes mundi constituentes considerat, adeoque de motu eorundem agit; & cum certum sit motum simplicium simplicem, mixtorum mixtum esse, difficile non erit judicare tota esse simplicia corpora, quot lationes s. motus simplices dantur, proinde repudianda est illa Veterum opinio, quae infinita elementa, aut composta, ut similaria carn. lign. ossa &c. pro elementis habuit. ex infinitis enim principiis nihil doceri potest; unde optimi quaque doctores Physici & Mathematici finita & pauca principia ponunt, ex quibus doceantur, nec enim discere possemus Voces si vocum elementa s. primæ voces vocales & consonantes essent infinitæ. neque illa erunt prima elementa, quæ in ulteriora & magis prima resolvi possunt, prout diphongi, syllabæ, similiter sal, sulphur. Sensibus vero manifestum est, quomodo elementa per gravitatem maximam vel minorem, ut Terra & aqua deorsum, inferiorem locum occupent, aer & ignis ob levitatem summam & intermedium sursum, superiorum locum habeant. Consentaneum quippe ratione est ut summe grave, infimum, summe leve supremum, intermediae gravitatis & levitatis elementa intermedium Mundum locum peterent. Gravitas & levitas sunt differentiae elementorum & simul formæ eorundem quat. sunt partes mundi & secundum locum mobilia, per haec enim munus suum in mundo præstant: & sic novisse poterimus formas elementorum, neque enim turbare debet quod grav. & lev. qualitates aut accidentia dicantur: non enim sunt qualitates quae ad Categoriam qualitatis pertineant, sed essentiales quae omnibus semper compungunt & ad definitionem elementorum spectant. neque ulla modo sunt accidentia

accidentia elementorum; declarant enim intimam eorundem natu-
gam, neque separari possunt. Neque propterea haec sententia relinquenda,
quia, ut ferunt, magis & minus s. gradus speciem non variant. Omnino
magis & minus agere, speciem actionis variat, in numeris idem sit, &
h. i. gradus levitatis vel gravitatis sunt essentiales, essentiam elemento-
rum variant & specificum discrimen efficiunt.

IV. Quo prolixam hanc doctrinam contrahamus Observand.
1. Elementa ut sunt generabilia & corruptibilia esse primas substantias
corr. & generab. & principia misorum, & sic Calor, frigus, humid. sic
citas sunt formae elementorum, quae illis primo, per se competunt neque
ullo modo ab iis separari possunt. Prout vero levissimum elementum
non habet levitatem, propter quam superiorem locum peteret, sed
omnia talem levitatem praeter ignem habent, nec non omnia praeter
Terram talem gravitatem obtinent; & hinc pro diversa gravitate vel
levitate ad locum celerius moventur, ut quae sunt magis ignes fortis
celerius moventur sursum, plumbum autem celerius deorsum ferrum
quam lignum. Eodem ferè modo calidissimum & siccissimum, Ignis, non
habet calorem & siccitatem juxta quas magis calid. vel sicc. fieret, ut
Aer. & frigidissimum ut Terra non habet frigidit. ut magis frigida fie-
ret, ut Aqua, quando fit glacies. & humidissimum ut Aqua non habet
humid. secundum quam fit magis humida. Proprium ignis est esse
calidissimum in siccio. Glacies est exsuperantia frigoris in humido.

2. Manifestum est per sensualem experientiam & rationes verè
Philosophicas, Elementa cum qualitates contrarias in se invicem acti-
vas & passivas obtineant alterari & transmutari. Aerem in ignem, in
quam; Ignem in aerem, Aquam in aërem, Terram in ignem, mutari.
De illis qui contrarium docent Philosophus dicit: quod benè principia
Physica non capiant, sed omnia ad opiniones definitas, i. e. juxta rece-
ptum morem, ut nunc fit, reducere & explicare contendant. Scire vero
attinet quod sensibilium principia sint sensibilia, perpetuorum perpetua,
corruptibilium corruptibilia & omnino sub eodem genere principia &
quae sunt ex principiis querenda. Nisi forte plus apud nonnullos Con-
suetudo, quam ratio, sensus, experientia & Doctrina valeat. Atqui h. m.
determinanda sunt formae elementorum; prout dupli modo consi-
derantur. Gravitas & levitas sunt formae prout sunt Corpora natura-
lia mobilia, Calor frig. humid, siccit. sunt formae prout sunt generabilia
& corru-

& corruptibilia. De Materia vero statuendum, quod Una sit communis elementorum materia quæ potentia gravis, levis, humida, sicca, calida, frigida sit. Alias etiam considerantur elementa ut triam dimensionem habent, ut lucida, pellucida & opaca, eatenus sunt corpora vel principia mixtorum quat. colorata, lucida vel pellucida sunt. Ad hæc tanq. ad prima, odores, sapores colores mixtorum reduci possunt & debent.

V. Hisce ex libb. IV. de Cœlo maximam partem de promptis Thesibus Manuissæ loco seqq. adjicimus. 1. Quæ in hac Exercitatione obscurè forte, quia breviter deditus, olim uberiori declaratione erunt illustranda: alias de prolixitate & brevitate scribendi nimis curare, ineptum iudicat Plato; cum non brevissima aut longissima sed optima eligenda. Parili modo supervacaneum arbitramur, in hac de Cœlo & Elementis Doctrina, Compendia vel usitatum forte methodum à facilitate & brevitate commendabilem sectari, de veritate, probalitate parum curæ suscipere. Neq; decet ex dubio aut suppositio lib. argumenta conquirere ad impugnandam hanc Physicam & Mathemat. priscorum calculis probatam doctrinam, quod facere videntur illi, qui ad libb. de Categoris & Mundo tanq. ad sacram anchoram confugiunt. Non enim sufficit quod Laertius Catalogum libb. Arist. recenseat & nominet lib. de Categor. cum constet, vix ullum nunc extare ex ijs libb. quos ille pro genuinis forte habet. Nec quia Justinus Martyr lib. de Mundo Aristotelis esse credit, idem credamus necessarium est; exstilo, doctrina & aliis notis omnino contrarium patet.

2. Ptolomæus egregie inquit: Intelligendum multa errata eorum qui parum accuratè in re magna & multiplicis considerationis versantur, derogare fidem scientiæ, & facere ut fortuita videantur, etiam quæ veritatem complectuntur: Quod non rectè sit, nam hæc imbecillitas non est scientiæ sed Professorum. Idem in hac scientiæ Physicæ parte, quam maxime tenendum; ne proprieas malè audiat Divina hæc scientia, quia Interpretæ multis variisq; affectibus subinde obnoxios facta fuit. Hinc mirabiles de Intelligentiis, orbibus realibus, Quinta essentia, elementorum migrationibus &c. ortæ fuerunt opiniones. Theodorus Gaza Interpretis officium his verbis indicat: Libros Latinos ut Ciceronis Plin. Varr. &c. vel semel accuratè legisse laboriosum est, ne dum ad usum interpretandi accommodasse. Non enim ita usum verborum accipit interpres, ut suo arbitratu rem disponat, mandetq; elocutioni, sed

sed totidem ferè verbis sensus alienos accommodatè exprimere cogitur, quod per difficile est; & in emendandis libris laborare debet interpres, ne ipse errasse in convertendo videatur, ita enim pleriq; judicant, ut si quid benè ab interprete dicitur, id auctori operis tribuant, si quid male id interpr. vitio adscribant. Sed de bonis Interpretib. loquor, non de iis qui & sibi & Auctori quem Interpretantur dedecus pariant. Hæc ille.

3. Franc. Baco de Verulamio. Illos homines, inquit, vano existimamus, qui aut ad falsa creduli, aut in rebus exigui usus curiosi. Curiositas autem aut in rebus ipsis versatur, aut in verbis, quando nimis, aut in rebus inanibus opera insumitur, aut circa verborum Delicias nimium insudatur. Et Laertius in vita Zenonis refert; Dixisse Philosophum: eruditorum sermones imperfectos similes esse Alexandriae pecuniae, gratos oculis & pictos monetæ instar, eos qui secus essent, tetradrachmis Alexandriae assimilasse, tamen quidē ac ruditer incisis, sed qui pictam orationem superare possint, Eundem monuisse, nihil fastu esse indecentius, tum in cæteris, tum in juvenibus maxime, & non circa voces & vocabula memoriam, sed circa intelligentiam mentem exercere oportere, ne veluti luxuriam quandam assumamus. Attamen notissimum est, inquit Petrus Gassendus, res etiam abstrusissimas, quales Philosophicas dicunt, posse cum ornatu exhiberi. Solacismi & barbarismi sunt laudes & gemitæ Philosophorum, illorum qui tam ineptè garriunt, quiq; libros alios cognitos non habent, quam refertos illis putaminiibus hæcceitatum & aliquitatum, qui differuerunt oriientes in scholis & hypo-caustis, commenti sunt ad doctrinam de Cœlo soliditatem, realitatemq; sphærarum cœlestium, canales quos astra traiiciant. Ecce enim significatus vocabulorum ita detorserunt, ut verba etiam vulgaria, dum ab ipsis usurpantur, dixeris tibi videri chimærarum bombinantum: non vulgi quem penes loquendi arbitrium & norma est. Hæc & similia multa, Gassendus veritati & experientiæ non contraria assert, quamquam alias nimium curiosus & injustus Censor videatur Aristotelis, dum Aristoteles perstringit & libros ejus genuinos indubium vocat.

4. Placet nonnulla heic apponere quibus Gassendus utitur dum libb. de Cœlo castigat, propter doctrinarū defectū, ineptam redundantiam, falsitatem, contradictionem. Immerito tribuit Philosopho quod l. 1. de Cœlo c. 1. deducat universi perfectionum ex tripla dimensione corporum

rum cum non male totum universum absolutè perfectum esse colligat
probata singularium partium perfectione ac monstratio eorum situ, con-
nexione ac ordine. Et quod l. 2. cap. 8. inanes rationes producat, quibus
probat astra una cum orbibus moveri & esse sphærica. neq; enito Gaf-
sendus meliores substituit, neq; Aristoteles ex sua sed Astronomorum
quorundam sententia has assert. Quod l. 3. c. 1. allata ratio, qua mon-
strat, punto non competere affectionem rerum mobilium non sit suf-
ficiens, malè colligit Gassendus inde, quod punctum habere possit gravi-
tatem minimam. Quod l. 4. c. 5. non recte refutatur Democritum inde
non potest concludere Gassendus, quod paucis ad argumenta Democri-
ti respondeat. Similiter immerito censet esse inutilem repetitionem de
infinito l. 1. de Cœlo c. 5. & 6. factam, cum illa maxime erat necessaria,
ut ostenderet Cœlum non esse infinitum; neq; eam doctrinam l. 3. phys.
ita propositam aut ad præsens de Cœlo dogma applicatam invenies.
Neq; superfluum est quod l. 2. c. 8. & 11. iisdem ferè argumentis figuram
astrorum ostendat sphæricam, nam cap. 8. non probat, sed ponit talem
astrorum figuram, ut motum eorum declareret. Neq; l. 3. c. 5. tautologi-
cum in lib. 1. Phys. argumentum repetit, sed rectè quod principia rerum
naturalium non sint numero Unum quid declarat. Falsum est, quod sic
tautologia permolesta in lib. IV. de gravi & levi; cum diversum rerum
gravitatem & levitatem non nisi distinctè explicare debuerit. Parili mo-
do Gassendus immerito tribuit philosopho impietatem & falsitatem
quando l. 2. de Cœlo c. 2. probat Cœlum non cœpsisse per principia gene-
rationis, prout reliqua quæ naturalia sunt ac moventur aut mutantur;
Nemo enim mente sanus hæcce Cœlo applicare poterit. Et l. 3. c. 2. quod
elementa transmutentur positi communi elementorum materia; alias
impossibile esse ut secundum naturam unum ex altero fiat. Si enim quis
hæc neget, det rationes Philosophicas in contrarium. Immerito auto-
mat Aristotelem sibi contradixisse, dum l. 1. c. 2. Omne Corpus na-
turale dicat esse mobile & l. 2. c. 14. terram immobilem quiescere, non
enim attendit quod libr. 5. Phys. c. 1. mobile distinguat. Hinc Terra tota,
ut centrum universi quiescit, partes terræ extra locū naturalem constitu-
ta non tantum sunt Mobiles sed etiam moventur, & naturale non tantum
motus sed etiam quietis principiū habet. Nec sibi contrarius est dū l. 4. c. 2.
dicit Corpora non esse inde levia, quia parva, aut gravia quia magna, &
cap. 4. corporibus ascribat gravitatem & levitatem quod majus plum-
bum celerius deorsum vergat. Verum quippe est, quod Magnum & par-
vum

vum ut sunt talia, nihil conferant ad gravitatem & levitatem, exiguis
ignis sursum fertur & major similiter; rursus verum est, quod Majora
propter Materia m terream quæ gravitatis causa est, celerius descendant
quam minora ejusdem sortis. Et quod majora propter materiam igne-
am quæ levitatis cœla est, celerius ascendant, quam minora. Scilicet; Fa-
cilius est reprehendere Philosophum, quam imitari.

NIL DIVINVS QUAM DOCERE

NIHL PROPIUS VERÆ FELICITATI QUAM DISCERE.

COCHÉ Decus Phœbi, vigilatas ducere noctes,

Te juvat, ignavas & pepulisse moras.

Ergo Tibi clarū Cœlum jam militat Astris,

Ac Elementa parent, & favet ipse D E U S.

Ausu Ixionio, multo conamine Cœlum.

Scandit, qui parum curat Aristotelem.

Gloria magna manet talem, quidogmata Sophi

Traxit, pro Diyā non capit ille nubem.

Amicorum & Auditor. Eximio, L.M.Q.

M. M. W. Praeses.

Qui non celebri carmine, doctior
Vates, Camœnū grande negoti-
um hoc,

Henrice laudes? dum polares

Et superos resonas Triones. (phos
Quis sanus? aut qui non celebres So-
Opus venustū hoc? quis Physices amans

Non concinat tantum laborem,

Quæ tacet oratum gravamen.

Sed ne, relictis Calliope modis
Cœli retardes nomina splendida
Parnassico nostro sub arvo;

Quare decus potiore nisi.
Insigne Musis præsidium est tibi,
Et laus caterva Palladiæ bona,

Et Phœbus immenses honores

Anio paret lepore,

Amico suo incomparabili app.

Jacobus Cobabus Wismariensis

Alia petū, COELUM Tibi dum, charissime Frater,
Sumū ut examines, at hercogz̄ polos:

Ulnae patet, semper Tibi quid COELESTIA cure

Sint. Benè rem tractes! Mens ita ad astravolat.

COELICA mens tua sit, COELUMqz̄ per tua fama

Et tandem totus COELICA regnat petas!

Fratri Germano add.

Jacobus Coch, Wismar:

•06(0)86



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730215784/phys_0035](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215784/phys_0035)





Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730215784/phys_0036](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730215784/phys_0036)



potentiam movet, utitur aere tanq. instrumentum
vetur, praeter naturam aliquid patitur, ut contingat
etiam cum sint ex numero sensibilium natura-
vitatem habere debent.

III. Notandum Elementa esse prima quæ in
res, ita, ut in ea ultimo dividi possint & quidem
in alia specie diversa dividi nequeant. Sic elementum
primum corpus, quod in aliud corpus dividi non
corporibus actu vel potentia inest. Hoc sensu
sententiam qua numerum elementorum consti-
tuor elementa dari, ex Motu & differentiis substi-
lib. autem de Cœlo potissimum hæc elementa, u-
les s. corpora naturalia & partes mundum con-
ad eōq; de motu eorundem agit; & cum certum
simplicem, mixtorum mixtum esse, difficile noi-
simplicia corpora, quot lationes s. motus simpli-
pudianda est illa Veterum opinio, quæ infinita e-
ta, ut similia carn. lign. ossa &c pro elemen-
tis principiis nihil doceri potest; unde optimi
& Mathematici finita & pauca principia ponunt
nec enim discere possemus Voces si vocum el-
vocales & consonantes essent infinitæ, neq; illæ
quæ in ulteriora & magis prima resolvi possunt,
bæ, similiter sal, sulphur. Sensibus vero manifesta-
menta per gravitatem maximam vel minorem,
sum, inferiorem locum occupent, aët & ignis
& intermedium sursum, superiorem locum habent
quippe ratione iste ut summe grave, infimum, &
intermediæ gravitatis & levitatis elementa inter-
peterent. Gravitas & levitas sunt differentiæ ele-
mæ eorundem quat. sunt partes mundi & secundum
per hæc enim munus suum in mundo præstant:
formas elementorum, neq; enim turbare debet
litates aut accidentia dicantur: non enim sunt quæ
riam qualitatis pertineant, sed essentiales quæ o-
sunt & ad definitionem elementorum spectan-

D



the scale towards document

Patch Reference Chart TE263 Serial No. 1

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 1